



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Mors Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

dita vendat mercem pretio summo, quam pecunia numerata non venderet nisi pretio medio, vel infimo, & ratio est, quia etiam premium summum est justum, unde in tali venditione non intervenit iniquitas.

426. Quæritur. An mercatori vendenti credito mercem pretio summo absque prævio pacto, eo tamen animo, ut redimat pretio infimo pecunia numerata, liceat manifestare ementi hanc suam intentionem, dicendo: Vendo tibi mercem credito 105. si tamen indiges pecunia præsenti, paratus suam redimere illam pretio viliori, puta 100.

Resp. Solùm speculativè id esse probabile, practicè enim facile in manifestatione hujus voluntatis intercedit aliquod pactum implicitum, quod certè in foro externo præsumitur, & ideo contractus Mohatra sic initus, est illicitus.

M O R S C H R I S T I.

427. Quæritur. An Christus Dominus mortuus sit pro omnibus hominibus?

Resp. Affirmativè, est de fide, habetur enim 1. ad Timot. 2. coram Salvatore nostro, qui omnes homines vult salvos fieri, & vers. 6. dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, & 1. Joan. 2. ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi; pro omnibus itaque tam parvulis, quam adultis, tam fidelibus, quam infidelibus, Judæis, & Gentilibus, ac Atheistis Christus Dominus mortuus est, & meruit; ideo omnibus quoque dantur auxilia sufficientia ad salutem

con-

consequendam; idcirco sententia opposita
juremerito damnatur ab Alexandro VIII.
cum propositionibus 4. & 5.

428. Quæritur. An Deus cuilibet in hac
vita post quamcumque peccatorum multi-
tudinem conferat auxilia sufficientia ad re-
surgendum, an verò aliquos ita despiciat,
ac obduret, ut non possint amplius respi-
scere?

Resp. communissima sententia docet
cum Angelico, neminem à Deo post quam-
cumque multitudinem, aut gravitatem
peccatorum ita deserit, ut non possit physi-
cè, si velit, resipiscere, esto sèpe non pos-
sit moraliter; idque videntur innumeræ
scripturæ loca insinuare, nec non Concilia
& Patres; hoc etiam divinæ Bonitati, ac
misericordiæ proculdubio est magis conso-
num, atque adeo ita dicendum; quæ verò
ex scripturis, & SS. PP. in oppositum pos-
sunt, adduci, intelligenda sunt, quod
Deus in pœnam peccatorum nōnullis sæpe
deneget auxilium efficax, non verò suffi-
ciens, & quod sæpè ob depravatos mores
non possint, illi moraliter, non verò quod
non possint physicè resipiscere, & ad bo-
næ frugem redire.

OBLATIO.

429. Quæritur. An oblatio in templo,
quæ siebat à B. V. Maria in die
Purificationis suæ per duos pullos colum-
barum, unum in holocaustum, alterum pro
peccatis, sufficienter testentur, quod indi-
guerit purificatione?

Resp. Tanquam hæretica expressè dam-
natur ab Alexandro VIII. propositio 2.
asse-